



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

4. Quæ in cateris rebus sensibilibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

SECTIO IV.

Qua signa ante iudicii diem in ceteris rebus sensibilibus futura sint.

Diximus de celestibus signis, sequitur, ut dicamus, an in terra, & ceteris elementis, habitantibusque in eis aliqua quoque signa praecessura sint. Quae res brevissimè est à nobis expedienda, quoniam per pauca sunt circa hoc reuelata, & verbis admodum generalibus, & interdum adeo obscuris, ut vix possint humano ingenio comprehendere.

Primo ergo circa elementum ignis posset inter haec signa numerari ignis ille, qui (ut in Psalm. 96. significatur) *Ante ipsum* (id est, Christum iudicem) *praece-* *det, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Sed quia huiusmodi ignem, atque eius usum, & effectum, vel omnino, vel praecipue existimamus futurum post resurrectionem hominum, finitumque iudicium, ideo fusio-rem de illo translationem in sequentes duas disputationes referuamus. Quocirca nullum aliud speciale signum reperio ad hoc elementum pertinens praeter exhalationes ignitas, fulgura, & fulmina, quae (ut diximus praecedenti sect.) frequenter illis diebus coruscabunt, & in tanta multitudine, & magnitudine, ut homines vehementer terreant. Et de hoc signo intelligi possunt multa, quae scribit Ioan. Apocal. 16. praesertim cum scribit de septimo Angelo, qui effudit phialam suam, & accommodari etiam potest, quod ibidem scribit de quarto Angelo, qui effudit phialam suam in Solem, & datum est illi aestu affligere homines, & igne. Nam (si quis recte consideret) quae in illo, antecedentique cap. scribuntur, omnia videntur pertinere ad hoc tempus, de quo agimus post persecutionem Antichristi. Quae autem prius scribit c. 8. & 9. de septem tubis, & calamitatibus per eas significatis, videntur maiori ex parte pertinere ad tempora, quae praecedent Antichristi aduentum. Sed illa omnia explicatu difficillima sunt, alienumque esset à nostro instituto referre hoc loco, vel quae de ijs scripsere alij, vel quae excogitari à nobis possunt.

Secundo, inter signa ad elementum aeris pertinentia poni potest signum crucis, quod in aere tunc apparebit, ut ait Christus: *Et tunc parebit signum filii hominis in caelo*, scilicet aereo: sed de hoc signo dicemus disput. sequenti: existimamus enim antecessurum iudicem ad iudicandum descendentem. Pertinent vero ad hoc elementum reduci tonitrua, & aliae meteorologicae impressiones, inaequalitque motus, qui in ventis fiunt, & magna aeris inclementia, tenebrae, aliaeque similia, quae in aere efficiuntur, & legi in praedictis locis Apocalypseos possunt.

Tertio de aquis legimus Luc. 21. *Et in terris pressura gentium* praefusione sonitus maris, & fluctuum. Quibus verbis significantur futurae horribiles tempestates, & aquarum commotiones, quae strepitum ingentem & horrendum efficiant. Cumque hoc annumeretur cum signis futuris in caelo, & in stellis, non est dubium, quin ad haec vltima tempora, & proxima iudicii signa pertineat. Vnde huc etiam spectant, quae Ioannes dicto cap. 16. refert, de duob. Angelis, qui effuderunt phialas suas in mare, & in flumina, & fontes aquarum, & factus est sanguis, & omnis anima viuens mortua est in mari.

Quarto, de elemento terrae certum est, futuros esse magnos terrae motus, inter quos ille videtur mirabilis, quem his verbis refert Ioannes supra, *Et terrae motus factus est magnus, qualis nunquam fuit*, ex quo homines fuerunt super terram: talis terrae motus sit magnus. Et facta est ciuitas magna in tres partes, & ciuitates gentium ceciderunt, & Babylon magna venit in memoriam ante Deum, dare illi calicem vini indignationis irae eius. Vbi per magnam Babylonem mundum intelligendum existimo, cum omnibus fere expositioribus, tam eo loco

A quam c. 14. & 18. Nam si haec loca inter se conferantur constabit non posse aliter commode exponi. Quae autem sit ciuitas illa magna, an sit eadem Babylon, vel aliqua particularis ciuitas, incertum est: & fortasse est Ierosolyma, cum à ciuitatibus gentium distinguatur. Illud vero obscurius, & admirabilius est, quod de eodem terrae motu statim subiungit, *Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti.* Et idem fere scripserat c. 6. ubi referens similem terrae motum, ait, *Et omnis mons, & insula de locis suis mota sunt.* Quae verba varijs modis possent exponi: sed nullum est incommodum, quod ad literam (ut sonant) intelligantur. Nam cum elementum terrae post iudicium alio perfectiori modo, ac figura constituendum sit, nihil mirum est, quod antea incipiat commoueri inuitato illo, ac stupendo modo. Quo etiam fiet, ut magna pars hominum intereat, & qui superstites manserint ingenti concutiantur metu.

Quinto, de hominibus duo potissimum signa leguntur in scriptura. Primum, quod eo tempore erunt perditissimi mores hominum. Nam de eorum fide legimus Luc. 18. dixisse Christum, *Verum amen filius hominis veniens, putat ne inueniet fidem super terram?* de charitate vero, & moribus dicitur Matth. 24. *Quoniam abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum.* Dices, visis tot signis ac certis indicijs instantis iudicii, fieri non posse, quin multi homines ad fidem, & poenitentiam conuertantur. Item licet verum sit, in aduentu Antichristi fore mores hominum perditissimos, ut latè describit Hippolytus libr. de consum-

C matione mundi, & Lactant. lib. 7. cap. 15. & 16. & Cyrill. Cat. 15. tamen per Eliam, & Henoch multi conuertentur ad fidem: non igitur erunt tunc tam pauci credentes, nec tam perditii mores hominum. Respondetur, quamuis Elias, & Henoch multos homines sint in fide confirmaturi: tamen eos omnes fore paucissimos, si cum reliqua hominum vniuersitate conferantur. Cuius signum manifestum est, quia Apoc. 11. post necem Eliæ, & Henoch, dicitur, *Inhabitantes terram gaudebunt super illos, & iucundabuntur, &c.* Si ergo huiusmodi futuri sunt homines illius ciuitatis, in qua ipsi praedicabunt, quales in reliqua orbis parte futuros credemus? Quapropter si per aduentum Domini intelligamus (sicut supra exposuimus) totum hoc tempus, in quo fiunt haec proxima signa iudicii, satis manifestum est quomodo vix inueniet fidem super terram. In illis autem diebus aliqui conuertentur, ex metu fortasse magis, quam ex vero amore: imo ita erunt perturbati, & terrefacti, ut vix possint de sua salute cogitare. Vnde de illis dicitur. Apocalyp. 9. *In diebus illis quarent homines mortem, & non inuenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis: & capit. 6. de omnibus hominibus dicitur, Absconderunt se in speluncis, & in petris montium, & dicunt montibus, & petris, Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni: Et hoc ipsum est, quod Christus praedixit Luc. 21.*

D *Erit in terris pressura gentium* (id est, angustia arescentibus hominibus praetimore, &c. Atque hoc est secundum signum futurum in hominibus, quod pertinet ad mala poenae, quae illis diebus homines patientur. Nam omnia signa, quae in caelis, & elementis fiunt, eo tendunt, ut de hominibus vindicta sumatur, & ut terrore concutiantur. Huc etiam spectant mortes assiduae illis diebus futurae, quae legi possunt in praedictis locis Apocalyp. & in superioribus aliqua tetigimus, cum de generali resurrectione ageremus.

Vltimo, de signis futuris in alijs animalibus, plantis, & reliquis mixtis nihil fere est in speciali reuelatum praeter ea, quae diximus: tamen ex ijs facile est coniectare, qualia futura sint. Atque hic possunt accommodari, quae scribit eleganter Lactant. libr. 7. cap. 16.

Signa in hominibus futura quae.

Luc. 18. hominis veniens, putat ne inueniet fidem super terram? de charitate vero, & moribus dicitur Matth. 24. Quoniam abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum.

Matt. 24. Obiectio.

Hippolyt. matione mundi, & Lactant. lib. 7. cap. 15. & 16. & Cyrill. Cat. 15. tamen per Eliam, & Henoch multi conuertentur ad fidem: non igitur erunt tunc tam pauci credentes, nec tam perditii mores hominum.

Response.

Apoc. 11. Inhabitantes terram gaudebunt super illos, & iucundabuntur, &c.

Apoc. 9.

Apoc. 6.

Luc. 21.